

Q U A E S T I O N U M  
O R T H O G R A P H I C A R U M  
S P E C I M E N.

Scripsit

**Dr. M. HOCH.**

---

**De Praepositionibus praefixis. Part. I.**

---

**1848.**



QUESTIONUM  
ORTOGRAPHICARUM  
SPECIMEN

Orthographia quoque consuetudini servit ideoque saepe mutata est.

Quint. I, 7, 11.

sofort

Dr. M. HORN

Die Propositio in die Propositio. Pm. I.

1881



## Diversae recentiorum de Orthographia Latina sententiae.

**D**e usu atque utilitate indagandae Orthographiae Latinae diversissimae sunt sententiae a viris doctis recentiore tempore prolatae. Quum enim ob summam fontium, e quibus praecepta recte scribendi hauriuntur, varietatem ac discrepantiam difficillima illa res esset, nonnulli quod Orthographia ad antiquam integritatem revocari non posset, operam in ea inlustranda frusta collatam esse statuerunt \*). Huic plane opposita est sententia eorum, qui quod scribendi rationem non omni tempore neque inter ipsos aequales eandem fuisse non intellexissent, antiquam scribendi rationem, quam e nonnullis codicibus petuisse sibi visi sunt, ubique restituendam esse putaverunt \*\*).

\*) Inter eos, quorum primo loco mentionem feci, praecipue nominandus est C. H. Heyne, cuius verba haec sunt (Virg. Tom. I. Praef. 2. edit. p. 36—43): „Quam incerta et lubrica res et sit et esse debeat scripturae ratio et mos in omni lingua, neminem fugit, qui animum ad haec adverterit (p. 36).“ Recte deinde contra N. Heinsium, qui in edendo Virgilio codicem Mediceum secutus erat, haec profert (p. 37): „Verum antequam id adfirmares, docendum erat, hanc scripturam esse veram illam Virgilianam. Nisi id feceris, hoc unum concessero, esse hanc scripturam eius aevi, quo codex est exaratus; atqui fuit illud ab Augusteo saeculo valde remotum et multis sermonis vitiis contaminatum.“ Sed quae deinde de codicibus Virgil. et de Orthographia Virgiliana recte constituenda addit, dici vix potest quam falsa sint. Verba ipsa ascribam: „Dicat aliquis, antiquorem saltem scribendi rationem in illo codice servatam esse. Atqui ne hoc quidem satis tuto adfirmes; nam Fragmentum Vaticanum, quod hoc Mediceo antiquius habetur (?), vulgarem nostram rationem exhibet, *attrahere, illustris, collapsus* (?); Romanus autem, qui ipse Mediceo antiquior est (?), modo hoc modo illud sequitur (?). Quid? quod ne ipse quidem Mediceus certam et constantem rationem servat, sed in eadem interdum voce modo ad hoc modo ad illud aberrat? Plus efficias, si rationem certam adhibeas et hunc in modum argumenteris: antiquorem rationem haud dubie fuisse duriorem ad aurem et severiorem; succedente tempore molliorem et leniorem; quemadmodum antiquissima aetate rudis fuerat, horrida et aspera; Maronem media illa ratione esse usum „cet. Sententiae paulo diversae testem adferam C. Vanderbourg (Q. Horatii Flacci Carminum libri V. Lutetiae Parisiorum a. 1812.), cuius haec sunt (Tom. I. Préface p. 24): On serait, je crois, fort embarrassé d'établir des règles générales à ce sujet, l'usage ayant varié parmi les Romains comme parmi nous, ainsi qu'on peut le voir dans le chapitre très-curieux où Quintilien traite de l'orthographe (Inst. Or. I, 7). Cet homme illustre se moque avec raisons des scrupules des puristes et des subtilités des grammairiens. Il veut, que l'on s'en tienne à l'usage de son temps, et je crois que nous devons, à notre tour, nous conformer à l'usage du nôtre.“ Et huic sententiae, nisi fallor, plurimi humaniorum litterarum magistri adsentientur.

\*\*) Eam sententiam amplexi sunt in primis Eduardus Wunder (M. Tulli Ciceronis oratio pro Cn. Plancio emendavit et explanavit Ed. W. Lipsiae 1830, Praef. p. XI sqq.) et Maduigius (Praef. ad Ciceronem de Finibus), qui antiquam Orthographiam ex codicibus rescriptis eruendam et restituendam esse arbitrantur. C. Kirchner (Des Q. Horatius Flaccus Satiren, I. Theil, Stralsund) p. LXXXI. se Fr. A. Wolfii vestigia secutum aevi Augustei Orthographiam in primis ex codicibus antiquissimis restituendam curasse profitetur. Fr. Kritzius (C. Sallustii Crispi opera, quae supersunt. Lipsiae 1828.) p. XII—XIII. se antiquissimorum ac probatissimorum quidem codicum auctoritate Grammaticorumque praeceptis nisum esse, neque vero anxiè codicum consensum ubique requisivisse, sed antiqua (?) Orthographia etiam invitis codicibus usum esse dicit. Fr. Ellendt (M. Tulli Ciceronis de Oratore 1. 3. Regiomont. Prussorum 1840) Ciceronis codices secutus est.

Neutram rationem probant, qui scribendi rationem inde ab antiquissimis temporibus usque ad ea tempora, quibus Latina lingua florere desiit, mutationem subiisse recte statuunt. \*)

### De fontibus, unde recte scribendi scientia petenda sit.

Quum equidem specimen Orthographiae Latinae diversis temporibus diversae daturus sim, prius de praecipuis fontibus, e quibus ea haurienda sit, breviter dicam, de auctoritate singulorum uberioris disputare hoc loco supersedebo, et tantum adferam, ut quaeque videbuntur maxime necessaria.

Tres potissimum fontes sunt Orthographiae Latinae recte constituendae, monumenta aeri vel lapidibus incisa \*\*), libri manuscripti et praecepta Grammaticorum. Hunc esse iustum fontium ordinem mihi extra omnem dubitationem positum videtur. Nam libros manuscriptos plerumque scribendi rationem eius temporis praebere, quo scripti sint, neminem harum rerum gnaram fugit, et Grammaticorum iudicio quam caute utendum sit, nemo est, quin sciat.

### Monumenta aeri vel lapidibus incisa.

Columna rostrata, C. Duilio in foro posita a. 261. a. Chr. Conf. Georg. Frid. Grotfendi Grammat. Lat. 3. edit. Francof. ad M. 1820. T. II, p. 295. sq. et Orellii Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio. Turici 1828. N. 549.

Monumenta Scipionum. Conf. Grotf. p. 298. sqq. et Orell. 540. sqq. Sunt haec octo monumenta (a Grotf. litteris a—h signata), quorum primum, si ad abavum Asiatici et Africani referendum est, scriptum est inter an. 450—460 u. c.; sed verisimilius putatur eiusdem temporis, quam secundum (littera b a Grotf. signatum, ap. Orell. 552.) quod est in laudem expugnatoris Corsicae (consul. a. 494. u. c.). Monumentum quartum (Or. 556.) referendum est ad a. 588 u. c. Monum. sextum (Or. 558.) est in honorem filii Africani maioris; monum. septimum exaratum esse videtur c. a. 578 u. c., et monum. octavum (Or. 557) c. a. 600 u. c.

Senatusconsultum de Bacchanalibus (a. 186. a. Chr. — 568. u. c.). Conf. „Senatusc. de Bacch. sive aeneae vetustae Tabulae Musei Caesarei Vindobonensis explicatio auctore Matthaeo Aegyptio“ in Livii edit. Drakenb. VII, 197. sqq. Grotf. I. I. p. 297. sq. Endlicher. Catalog. codic. manusc. biblioth. Vindob. Vindobonae 1836, cuius libri inspiciendi mihi nondum copia fuit.

Tabulae Heracleenses. Inventae sunt hae tabulae in rivulo ad oram Lucaniae; prior est ὄπισθόγαρος et fragmento Britannico suppletur; continet ψήφισμα procul dubio statim post a. 430 u. c. scriptum; posterior est recentioris aetatis. Cf. Alexii Symmachi Commentarii in Aeneas Tabulas Heracleenses, Neapoli 1754 (T. I.) et 1755. (T. II.) Vol. II, p. 289. sqq.

\*) Hanc viam, quam B. G. Niebuhrius (M. T. Ciceronis orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta, Romae 1820) et G. Freundius (M. T. Ciceronis oratio pro T. Annio Milone, Vratislaviae 1838) quodammodo aperuerant, ingressus est G. Phil. Eb. Wagner in commentatione de Orthographia Vergiliiana, addita Volumini V. editionis Virgilii, Lipsiae 1841.

\*\*) Inscriptiones primo loco collocandas esse suo iure statuit Wagner in Praef. I. I. p. VIII., et sane mira est sententia Keilii, Professoris Portensis, prolata in Jahn. Bibl. crit. XXXVIII, 4, p. 435: „Was zunächst die Schreibweise (sc. inscriptionum) als das Aeußerlichste betrifft, so begegnen uns natürlich hier eine Menge Abweichungen von der Bücher-Orthographie, sei es dass Einzelnes aus der gemeinen Umgangssprache hergeholt, sei es dass Einzelnes mehr Steinmetzen-Manier ist.“

Fragmenta Legis Serviliae procul dubio scalptae ante a. 650 u. c. Conf. Fragmenta Legis Serviliae repetundarum ex tabulis aereis primum coniunxit, restituit, illustravit Cl. Aug. Klenze. Berol. 1825. Est haec quoque tabula ὄπισθόγυαρος, quum in aversa tabulae parte legem Thoriam contineat. Conf. Marini Gli Atti e Monumenti de' Fratelli Arvali. Roma 1795. II. Vol. Apud eund. Marin. II, p. 569 sq. legitur Lex Romana e Tabula Bantina, integre communicata a Klenze (Commentationes Philologicae editae a Lachmanno, Berol. 1839. p. 1—24, in Museo Rhenano II. [a. 1828] p. 26 sqq.).

Lex Thoria (post a. 642 u. c.) Conf. Pighii Annales Romanorum. Antverpiae 1615. Tom. III, p. 137 sq. \*) Num Lex a Pighio commemorata Spurii Thorii sit, dubitari potest; sed ex nominatis in eadem consulibus constat, ipsam post annum urbis 642 fuisse latam \*\*).

Lex agraria M. Drusii, a. 631. u. c. (?). cf. Pigh. p. 63.

Fragmentum novum columnarum triumphalium Romae inventum, 633. u. c. Pigh. 56 sq.

Elogium C. Marii in marmorea tabula, 652 u. c. Pigh. 173.

Fasti triumphales, Pigh. II, XXII sqq.

Fasti consulares Capitolini recensuit J. C. M. Laurent, ph. Dr., Altonae 1833. Compositi sunt auctoritate Jul. Caesaris a. 707. et continuati usque ad a. 723. cf. p. 14.

Fragmentum Ancyranum, c. a. 750 u. c. Continet Breviarium imperii Augustei. Cf. Jani Gruteri corpus Inscriptionum ex recensione et cum annotationibus Joannis Georgii Graevii, Amstelaedami 1707. Vol. I, P. I, p. 230.

Senatusconsultum Vespasiani. Gruter. p. 242.

Claudii imperatoris oratio. Grut. p. 502. Hoc fragmentum accuratius editum est in Brotierii Tacito ed. Paris. 1820. T. IV, p. 474. Conf. Orell. n. 705.

Cenotaphia Pisana, a. 757. et 755. Conf. Cenotaphia Pisana Caii (qui obiit a. 757 u. c.) et Lucii (a. 755) Caesarum dissertationibus illustrata. Auctore F. Henr. Norisio Veronensi, Venetiis 1681.

Juris Romani Tabulae Negotiorum sollempnium, E. Spangenberg. Lipsiae 1822., qui in lapideis monumentis novissimam Gruteri recognitionem se secutum esse dicit. Textum ipsum tabularum e Marinio constituit. Monumentum 67. est Tabula Traiani alimentaria; mon. 70. est c. a. 150. p. Chr. exaratum.

Inscriptionum Latinarum collectiones instituerunt Marinus, Orellius et Gruter II. II. Accedunt inscriptiones, quas collegerunt Lerschius („Centralmuseum rheinlaendischer Inschriften, Bonn. 1839. 1840. 1842.“), Osannus (in Ephemeridibus antiquitatis litterariis), Rosinus („Dissertatio Isagogiae ad Herculaneum Vol. Explanacionem, Pars I, Neapoli 1797“), Otto Jahn („Specimen epigraphicum in memoriam Olai Kellermannii. Accedit tabula typographica. Kiliae 1841 \*\*\*“)).

\*) Quum Pighius testis oculatus non esse videatur, fragmentorum ab eo editorum auctoritas in re Orthographica admodum dubia esse debet. Doleo, quod Goettlingi libro (Fünfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, Halle 1845) uti mihi non licuit.

\*\*) De laceris eius inscriptionis fragmentis disputavit Rudorffius in libro: „Das Ackergesetz des Spurius Thorius wiederhergestellt und erläutert.“ Berlin, 1839.

\*\*\*) Is liber mihi non nisi ex censura (in Jahn. Nov. Annalib. phil. et paedagog. XXXVIII, 4, p. 430 sqq.) innotuit.

## Libri Manuscripti.

Primum locum haud cunctanter adsigno Carmini Latino (de bello Actiaco), quod quin ipsi aevi Augusteo attribuendum sit vix dubitare poteris. Est tertia fere pars carminis, quod fortasse in laudem victoriae Actiensis compositum erat. De auctore dubitatur. Varium epicum poetam auctorem statuere ob Horatii illud Odar. I, 6, 1 sqq. ipsius carminis indeoles vetat. Conf. Herculanensium Voluminum T. II. Neapoli 1809. Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum lib. III. Fragmentis, atque Carminis Latini de bello Actiaco fragmenta iterum ed. J. T. Kreyssig, Misenae 1835, qui omnia, quae hue facere possunt, congesit.

Virgilii codices. Antiquissimus eorum, Mediceus, ante eversum imperium Romanum exaratus esse videtur. Typis eum describendum curavit Fogginius \*), qui, quod in Praefatione promisit, accuratissime in ea re versatus est. Ipse iudicat codicem esse saeculi quarti, cui opinioni aliqua probabilitatis species accedit, quod T. Apronianus (qui in fine saec. V. vixit) eum a fratre Macario dono accepisse ipseque distinxisse atque emendasse dicitur. Conf. Praef. p. IX., et Noris. Cenotaph. Pisan. Diss. IV, c. 2. De Fragmento Sangallensi huic codici aetate proximo v. Wagn. Virg. T. V., Praef. p. X. Saeculum quintum sine dubio non excedunt Fragmenta codicis Vaticani \*\*), quem Mabillon (Iter Ital. I, 63.) ante Constantimum M. scriptum esse iudicat. Admodum dolendum est, quod typotheta rem suam parum accurate egit. Ipsum codicem a Fr. Guil. Schulzio et Schweersio iterum conferendum curavit Wagner. Cf. p. XIII sqq. Additae sunt apographo codicis Vaticani variae lectiones aliquot codicis Romani, quem ex parte (Bucolica) idem Schulzius iterum contulit. De codicibus Virgilii, qui in Helvetiae bibliothecis adservantur, nuper scripsit C. G. Müller in commentatione Indici scholarum in Univers. Litter. Bernensi habend. praemissa, Bernae 1841. Conf. Wagner in Ephemerid. antiquit. litter. Darmst. 1842, X, p. 921 sqq.

Codices rescriptos, quos plerosque eodem fere saeculo exaratos esse ex multis signis coniicio, antiquissimos Virgilii codices aetate superare mihi non facile persuadebitur. Quamvis enim probe sciam, quam incerta et fallax res sit ex scribendi ratione de antiquitate antiquissimorum codicum iudicare, tanien studium quoddam Orthographiae ad antiquam integritatem restituendae in iis deprehendere mihi videor (dico Etymologiae ubique fere habitam rationem), quod Grammaticorum praeceptis attribuendum censeo. Huic argumento accedit aliud haud levius. Constat codices illos saeculo IX. et X. esse rescriptos. Nonne inde probabile fit, recentiores potius codices, quippe qui minoris pretii essent, rescriptos esse quam antiquissimos? Codices rescripti, quibus usus sum, hi sunt:

a) Classicorum auctorum e Vaticanis codicibus editorum Tom. I. II. cur. Angelo Maio, Romae 1828. continent: Tom. I. Ciceron de Re Publica (quem codicem Angelo Mai (p. LXII sqq.) saeculo quarto vel quinto exaratum iudicat \*\*\*)) et Gargili Martialis de arboribus

\*) Virgili Maronis codex antiquissimus a R. T. Apronianio v. c. distinctus et emendatus qui nunc Florentiae in Biblioth. Mediceo-Laurentiana adseratur bono publico typis descriptus a. 1741 4to. Florentiae.

\*\*) Antiquissimi Virgiliani codicis Fragmenta et picturae ex Biblioth. Vatic. ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisae. Romae 1741.

\*\*\*) Immo p. LXV sq. dicit: „Num ipsa per se incredibilis videtur tanta membranarum longaevitas, ut sit v. gr. aevi Augstei?“

pomiferis (saecul. V. vel VI.); Tom. II. Ciceronis antiquus interpres (codex in Praef. p. IX. antiquissimus dicitur) et Ciceronis orat. in Verr. Act. II. partes ex antiquissimo Vaticano palimpsesto.

b) M. Corn. Frontonis et M. Aurelii Imperatoris Epistulae. Veri et Antonini Pii et Appiani epist. reliquiae. Fragmenta Frontonis et scripta Grammatica. Ex codice rescripto Biblioth. Vatic. Romae 1823. \*)

c) M. T. Ciceronis orationum pro M. Fonteio et pro C. Rabirio fragmenta, T. Livii lib. XLI. fragmenta ex membranis Bibl. Vatic. edita a B. G. Niebuhr, Romae 1820.

d) Juris civilis Anteiusustiniane reliquiae ineditae ex codice rescripto Bibl. Vatic. curante Angelo Maio, Romae 1823 \*\*). Additae sunt codicis Theodosiani variae II. ex Palimpsesto Bobiensi. Ibidem sunt II. Fragmenta Symmachii (ex initio saec. VI. cf. p. LXIII.), et III. Rhetorica Victorini (saec. XII. cf. p. LXXI.).

e) Glossae Placidi Grammatici. Conf. Jahnii Novae Bibl. crit. Suppl. II. (1833.) p. 439—471. et 485—492; et Angel. Maii Classic. Auct. III, 427 sqq.

Anecdoton Parisinum, quod Theodor. Bergk nuper (in Diurnis litter. antiquar. Cassel. 1845, I, N. 11. p. 81 sqq.) publici iuris fecit. Est codex, quod dubitari vix potest, anni 780. et continet fol. 28. 29. „Notas XXI, quae versibus apponi consuerunt“, procul dubio Probi Grammatici, et fol. 154. 154. „De Notis sententiarum“ (Isidor. I, 20).

Gaii institutionum commentarii quattuor. Conf. Heffter (Corpus iuris Romani Anteiusustiniani T. I.), qui codicem Veronensem (cuius aetatis?) secentum se dicit, *praeterquam ubi certissimis regulis adversaretur* \*\*\*).

Variae Lectiones Horatii codicis Saxonici, servati in Univers. Litter. Bern. (N. 363.), quas nuper in lucem protulit Hauthal (in Jahnii Nov. Annal. phil. et paedag. 1838, p. 338 sqq.). Codex in fine saeculi octavi vel initio noni exaratus est.

Arusiani Messi, V. C. Or. Comitis primi ordinis, exempla elocutionum ex Virgilio, Salustio, Terentio, Cicero, digesta per litteras. Conf. Lindemann Corp. Grammat. Latin. veter. Vol. I. Hunc libellum, qui manu Gudii exaratus in biblioth. Guelpherbytana est, Lindemannus (in Praef. editioni praemissa) ab antiquissimo aliquo codice itemque optimo transcriptum esse dicit.

Varietas lectionis e quatuor codicibus Parisiensibus signatis litteris z (est noni saeculi vel decimi init.), b (undecimi saec.), c (antiquioris temporis), x (est XV. saec. sed ex optimo codice descriptus). Conf. C. Crispi Salustii quae extant. Ed. Fr. D. Gerlach, Basiliæ 1823. Vol. III, p. 300 sqq.

Taciti codices Medicei, quibus usus est J. C. Orellius \*\*\*\*); cod. Medic. I. (plut. LXVIII, I.) continet Annalium libros sex priores, cod. Med. II. (eiusdem plutei) posteriores (Annal. XI—XVI) atque Historias; uterque est saeculi XI.

\*) In Praef. p. XVI: „Denique de aetate codicis Frontoniani quid dicam? Enimvero nihil impedit, quominus eum antiquissimum esse credamus.“

\*\*) In Praef. p. XVIII: „Ceteroqui nihil obstat, quin textus ipsius scriptura quinti vel sexti saeculi esse dicatur.“

\*\*\*) Itaque quum usus eius libri dubius esset, non nisi primum librum perlegi.

\*\*\*\*) C. Cornelii Taciti opera quae supersunt ad fidem codicum Mediceorum ab J. G. Baitero denuo excussorum ceterorumque optimorum librorum recensuit J. C. Orellius. Vol. I. Turici 1846. Duos priores libros tantum indagavi, quod tota scripturæ ratio satis inde apparere arbitratus sum.

T. Livii codex Bambergensis. Conf. T. Livii ab urbe condita lib. XXXIII. Ad codicis Bambergensis et editionum antiquarum fidem denuo edidit J. F. Kreyssig. Accessit varietas lectionum in ll. 30—32. et 34—38. ex codice Bambergensi. Misnac 1839. Codex est sine dubio saeculi undecimi\*). Huic aetate antecedit Moguntinus, e quo scripturae diversitatem Kreyss. addidit.

Huic codici adiungam eos, quos C. F. S. Alschefsky (T. Livii ab urbe condita liber tricesimus, ad codicum manu scriptorum fidem emendatus, Berolini 1839.) contulit. Is Puteanum, qui Parisiis servatur et omnium decadis tertiae librorum et antiquissimus et integerrimus habetur, describendum curavit, ex quo Bambergensis et Mediceus profecti sunt. Posteriorem partem libri XXX. (a capite 30.), quam in illo antiquissimo codice non extaret, ex altero Parisiensi, aetate illi proximo, dedit. Praeterea usus est codice Lipsiensi (XIV. saecul.) et Berolinensi (XV. saec.). In codicibus notandis his compendiis usus est: P significat librum Puteanum vel Parisinum, P<sub>2</sub> Parisiensem alterum, Bb Bambergensem, L Lipsiensem, Br Berolinensem, R. editionem principem Romanam, T. Tarvisanam, M. Moguntinam, A. Aldinam a. 1518., F. Frobenianam a. 1535. \*\*)

M. Acci Plauti Bacchides, ad codicum Palatinorum fidem cum integra scripturae discrepantia reliquorum librorum ed. Frid. Ritschelius. Halis Saxonum a. 1835. Vetus codex Palatinus teste Pareo (nota  $\mathcal{A}$  vel  $\mathcal{A}$  p significatus) a nobis n. 1. notatus est, idem Camerario et Grutero testibus ( $\mathcal{A}$ c et  $\mathcal{A}$ g) n. 2., decurtatus Palatinus testibus Pareo et Grutero ( $\Theta$ p et  $\Theta$ g) n. 3., idem a Ritschelio collatus ( $\Theta$ ) n. 4. — De antiquitate Palimpsesti Plautini Mediolanensis scripsit Ritschelius in Ephemer. litter. antiquar. Darmstad. 1837, n. 91. 2. 3.

M. Minutii Felicis Octavius ad fidem codicis Regii Lutetiae Parisiorum et Bruxellensis recensuit Eduardus de Muralto. Praefatus est J. Gasp. Orellius. Turici 1836. Codices saeculum IX. non excedunt.

„Nypsi, Nysii, Nipsi Junii M. romani, opus de agrorum mensuris.“ Huius codicis Bambergensis partem a Jan publici iuris fecit in Ephem. litter. antiq. Darmst. 1844., V, p. 433 sqq. Jaeck l. l. eum saeculo XI. adsignavit; prima pagina, quae methodum multiplicandi continet, est procul dubio XII. saec.

Arnobii codex Bruxellensis. Eius codicis accuratam collationem ab ipso Bruxellis factam L. Lerschii amica voluntas mecum communicavit. Codex, ut in ipsius fronte est, perturbatus a. 1598. (a Canonico) in ordinem compositus est. Totus fere liber primus et reliquorum insignes partes aetatis antiquioris sunt et saeculum X. non facile excedunt.

Codex Erfurtensis Ciceronis, qui inter Germaniae codices Ciceronis sine controversia antiquissimus est, non serius quam saeculo XIV. scriptus est. Conf. Variae Lectiones librorum aliquot ex codice Erf. enotatae ab Eduardo Wundero. Lipsiae 1827. \*\*\*). Ejusdem: M. Tulli Ciceronis oratio pro Cn. Plancio emendavit et explanavit Ed. Wunderus. Lipsiae 1830. M. T. Ciceronis oratio pro T. Annio Milone. Ad codicis olim Erfurtensis nunc Berolinensis

\*) Conf. Jaeck: Viele Alphabeten und ganze Schriftmuster vom VIII—XIV. Jahrhundert aus der Bibliothek zu Bamberg; 1833—35, Vol. III.

\*\*) T. Livi Rerum Romanarum ab urbe condita libri... emendati ab Car. Frid. Sig. Alschefski, (Vol. I. Berolini 1841.), cuius editionis nunc tria volumina in publicum emissae sunt. Quum optimorum codicium scribendi ratio non ubique adnotata sit, in rebus ad Orthographiam pertinentibus auctoritate carent.

\*\*\*) P. XII.: „Itaque tantum mihi videor confirmare posse, codicem Erfurtensem certe non serius quam saeculo XIV. esse scriptum, id quod scribendi etiam genus, quod usurpatum in eo videmus satis superque declarat.“

exemplar lithographico opere quam accuratissime describendam curavit, annotationibus orthographicis et criticis atque compendiorum indice copiosissime instruxit Guilelmus Freundius. Vratislaviae 1838.

Pandectarum codex Florentinus, qui antiquissimis codicibus adnumerandus est, quum eum aliquot annos post Traianum imperatorem scriptum esse admodum probabile sit. Conf. Henrici Brencmanni Historia Pandectarum seu fatum codicis Florentini, Traiecti ad Rhenum 1822. Exemplum apographi Brencmanni habet p. 115, et Gebaueri Corpus iuris civilis, post eius mortem edid. Spangenberg, Gottingae 1776, qui (p. 802. Vol. I.) paginam ex membranis Florentinis addidit. Quod in titulo eius libri est, Digesta ad Florentinum exemplum typis expressa esse, id quin accurate ubique factum sit, si ad Orthographiam spectas, vehementer dubito.

Sexti Julii Frontini de aquae ductibus urbis Romae liber. Ad codicum fidem edid. Dederichius, Vesaliae 1841. Omnium codicum antiquissimus est Cod. MS. Montis Cassinensis, qui vel sub finem saeculi decimi tertii vel sub initium decimi quarti scriptus fuisse dicitur; adnotatus est compendio C. Bonitate a codice Cassinensi secundus est Codex Vaticano-Urbinas paulo post medium saeculum XIV. exaratus et significatus littera U. Eadem tempori adsignandus est Codex Vatic. significatus littera V. Conf. Praef. p. VI — X.

Codex Arnstadiensis, cuius varias lectiones ad Somnium Scipionis vulgavit Pabst (in programmate Gymnas. Arnst. a. 1842). Scriptus est intra a. 1400 — 1445.

Ciceronis codices a Lagomarsinio collati, quorum antiquissimi sunt N. 4. 13. 32. 36, qui vero ipsi saeculum XIV. non antecedunt. Notandum est hoc loco Lagomarsinium varios numeros in collectaneis suis posuisse, qui non scriptos sed impressos libros videantur significare. Conf. M. T. Ciceronis de Oratore. Ed. Fr. Ellendt. Vol. I. (Regiomontii Prussorum 1840) p. XIV sq. \*).

Notae Tironianae, quibus ego in quaestionibus Orthographicis non magnam auctoritatem tribuerim, quod ex velociter scribendi studio sensim et improviso enatae sunt. Conf. Palaeographia critica auctore Ulrico Frid. Kopp, Mannhemii 1817. \*\*)

Agmen claudunt I Papiri Diplomatici dall' Abate Gaetano Marini. In Roma 1805. fol., qui liber apographa inde a saeculo quinto usque ad recentiora tempora continet. Textum haud omnibus numeris absolutum esse Koppius docuit in censura huius libri (Annal. Heidelb. a. 1809, I, p. 19 — 39.)

Ex his fontibus quae sequuntur petita sunt; eorum vero librorum, qui ad dirimendam quaestionem propositam non faciunt, mentionem non feci, quum mihi hic non propositum fuerit,

\*) Dolendum est, quod in libro tertio variae codicum lectiones ad Orthographiam spectantes rarissime adnotatae sunt. Qui „Specimen variarum lectionum e codicibus Lagomarsianis librorum Ciceronis de Nat. Deor. descriptarum“ congescit, Dr. Fr. Schultze (in programmate Gymnasi Liegnit. a. 1847), is Orthographiae rationem non habuisse videtur; nam ad praepositionis præfixae exempla haec tantum memorat, in varietate lectionum: I, 2. *annumerare* 4. 9. 23. 120. 122. 124. 126. 47. 127. 50; *assertionem* 31; I, 3. *ammovent* 3; I, 5. *amirantur* 31; *amonendi* 3. *adfirmarent* 11, *affemarent* 9. *asserendi* 3. 31. 9. 24. *adsentienti* 11; I, 6. *at dubitare* (*addubitare* Orelli) 11. *assint* 3. 31; I, 7. *astrictum* 11 et decem alii codices; I, 10. *amitor* 31; I, 11. *aduncta* (*pro adiuncta*), 23. *appellat* et *appellant* 24.

\*\*) Isidorus Etymolog. p. 39. ed. Lind. haec habet: Romae primus Tiro Ciceronis libertus commentatus est notas, sed tantum praepositionum.

ut omnem Orthographiam Latinam complecterer. Evidem quum de particularum praefixarum scriptura hoc loco disputare mecum constituisse, spatium huic scriptioni meae constitutum video vix sufficere ad pertractanda ea, quae de praepositione *ad* praefixa dicenda sunt.

### De praepositione *ad* in compositis.

Recentiores auctores, qui de praepositionibus praefixis praecipue scripserunt, hi sunt: Heynins in Praef. ad 2. edit. Virg. p. 36—43; Kritz. Sallust. Crispi opera p. 213., et qui ibi laudantur: Passov. ad Tacit. Germ. c. 2; Hertel. ad Agricol. c. 9. et Fr. Lindemann. ad Ruhnken. Elog. Hemsterh. p. 3 et 4; his adde A. Maium Conspect. Orthograph. cod. Vatic. de Rep. p. 621 ed. Moser.; Kirchner. Praef. ad Horat. Satiras p. LXXXV sqq., Wunder. Praef. ad Ciceron. Orat. pro Plancio p. XV., Freund. ad Orat. pro Milone p. 25 sqq., Ellendt. Ciceronis de Orat. libr. III. passim, Maduig. Praefat. ad Cicer. de Finib. p. 57 sqq., Frid. Osanni M. T. Ciceronis de re publica librorum Fragmenta. Gottingae 1847, qui vir doctissimus ipsam Ciceronis scribendi rationem, quantum quidem id fieri posset, restituendam sibi proposuit; quibus accedunt H. Duentzer (in „Wortbildung und Komposition“ p. 166 sqq.), qui praecipue de scribendi ratione in Inscriptionibus ap. Orell. observata disputavit; Wagner., cuius librum supra laudavimus, \*) et, qui de ea re peculiari commentatione scripsisse fertur, Hoffmann „Ueber die Assimilirung der Praepositionen in Compositis“ in Annalib. phil. et paedag. a. 1827. III, p. 81., quam frusta in illis Annalibus, quibus inesse dicuntur, quaesivi. Denique recentiora scripta grammatica Schneider. I, II, p. 521 sqq., Grotfend. (3. edit.) II, 221., Reisigii Vorlesungen ueber lateinische Sprachwissenschaft p. 280 sq. et ad eum librum notam 308. Fr. Hasii, Kruegeri §. 25. et 277. n. 6, qui rem vix attigit. Conf. Weissenborn. censura eius libri in Ephemerid. Marb. 1843, I, p. 75. Scripsit nuper copiose de litteris, de Orthographia et de accentu J. H. R. Prompsault\*\*); sed eius libri desiderium mihi ademit censura in Jahn. Nov. Annal. phil. et paedag. a. 1846, fasc. II, p. 155 sqq.

Praepositiones a Romanis in quibusdam vocabulis inflexas, in aliis integras relictas esse certum est, neque negari potest, antiquissimis temporibus adsimulationem, ut hodie loquuntur, rariorem fuisse \*\*); itaque quaerendum est, quando apud Romanos adsimilandarum praepositionum initium factum sit quique cuiusvis vel aetatis vel scriptoris usus fuerit, quantum quidem eius rei monumenta extant. *Ad* praepositio immutata retenta est ante *i* litteram consonantem et ante vocales, si excipis vocabulum *atavus* pro *adavus* \*\*\*\*). Conf. Schneid. I. I. I, p. 524 sq. \*\*\*\*\*).

\*) Eius libri censura in: Goettinger gelehrter Anzeiger, Stueck 125 mihi non ad manus fuit; altera censura inest in Ephemer. litter. antiquar. III, 4, p. 343 sqq. Cassel. 1845.

\*\*) Grammaire Latine. Traité des lettres, de l'orthographe et de l'accentuation, par l'Abbé J. H. R. Prompsault. Paris 1842; 1056 p.

\*\*\*) Eo tempore, quo Columna rostrata posita est, praepositiones praefixas immutatas relictas fuisse, e praepositione *ex* non mutata (*exficiunt*) videtur colligi posse.

\*\*\*\*) Hanc esse veram originem eius vocabuli docet pars significationis ratio verbi *adnepos*. Duentzer I. I. p. 189. cum Boppio *atavus* e lingua sanscrita duxit, in qua *ati*, „supra“ significat, ut *adnepos* esset pro *atnepos*.

\*\*\*\*\*) Immutatio *d* litterae mediae in tenuem *t* facta est propter sonum, quem habuit in fine vocabulorum *quid*, *quod*, *id*, *istud*, *illud*, *aliud*, *ad*, *apud*, *sed*, *hacud*; conf. Schneid. p. 251; exempla mutatae *ad* praepo-

§. 1. *Ad ante b in quatuor tantum verbis reperitur; adbellare, adblaterare, adbiberere, adbitere.* Tria priora praepositionem integrum retinuerunt, de quarto quaestio oritur. Apud Vel. Long. de Orthogr. p. 2225. haec sunt: „Abbire etiam quidam geminata b maluerunt et dicere et scribere, ut intermissa d. Et in hoc nullam differentiam putat esse Lucilius, qui ait:

Abbire multum est, d si et an b habet“;

quem locum Schneider I. 2, p. 632 in nott. ita emendavit: „Abbitere etiam quidam geminata b maluerunt et dicere et scribere (sc. quam adbitere) intermissa d, sed in hoc multam differentiam putat esse Lucilius, qui ait:

abbitere multum est d sive an b habet.“

Schmidt \*) legendum duxit deleto verbo *habet*:

Abbitere multum est d siet an b.

Plautus alterum verbum scripsit, ut Lucilius, *adbitere* (i. e. adire): Captiv. III, 4, 72.

Namque edepol si adbites propius, os denasabit tibi;

alterum vero *abitere* (i. e. abire): Rud. III, 4, 72.

Hunc quoque adserva ipsum, ne quo abitat; nam promisimus.

In Glossis Placidi (litt. a) est *adbiteret* et explicationis gratia additum *adveniret*. Antiquiore aetate pro *adbitere* dicebant *arbiter*, unde ortum est vocabulum *arbiter* „qui aditur“; conf. Doederl. Synonym. II, p. 162 \*\*); de qua litterae d mutatione §. 3. plura monebimus. Vides hinc *ad integrum* retentam esse sequente b, quod ne *ab* praepositionis sonus redderetur factum esse Schneider. I. I. p. 525. non immerito suspicatus est. Ceterum idem docet Priscian. p. 569. P. (I, 59 ed. Kr.): „Haec tamen ipsa consonans (d) in *ad* praepositione mutatur sequente c vel g vel p vel t, ut accumbo, accido, aggero, applico, appello, attingo, attineo. F quoque sequente rationabilius, ut affectus, / allido, r arrideo; n annuo; s assiduus. Subtrahitur etiam in quibusdam, si consequens dictio a gn vel sp vel sc incipit, ut agnitus, aspectus, ascendo. Aliis sequentibus litteris integra manet in compositione, ut adbibo, adhaereo, admitto, adquiro, advoco. Frequenter tamen invenimus, f vel n vel l vel r vel s sequentibus d scriptam, ut adfatur, adludo, adrideo, adnitor, adsumo; errore tamen scriptorum hoc fieri puto quam ratione. Nam quae sit differentia euphoniae, ut, cum eadem consonans sit sequens, in aliis transferatur d, in aliis non, scire non possum: ut, cum dicam affectus, allido, assiduus, bene sonet, cum autem affatur, alludo, assisto, male.“

§. 2. *Ad ante c, d, h.* *Ad ante c* iam antiquissimis temporibus in ac mutatum esse testantur Monum. Scip. g, *accumulavi*, Tabul. Heracl. II, 46. *accussasse*, Jur. civil. Tab. VII, 67 (855 et 866, Tabul. Traiani alimentaria) constanter *accipere*; sed ap. Marin. Atti p. 616. *adcumbitorum*, Tab. 41, b. *adclamantes* legitur.

sitionis in at plura in iis quae sequuntur invenies. Cf. praecipue §. 7; Mar. Victor. p. 2457: „Nos nunc et *adventum* et *apud* per d potius quam per t scribamus *atventum* et *aput*“; de reliquorum vocabulorum scriptura nunc non dicam.

\*) C. Lucilii Satirarum quae de libro nono supersunt disposita et illustrata, Berol. 1840 (praemissa indici scholarum Gymnasii Friderico-Werd.).

\*\*) Leunep. Anal. Ling. Lat. p. 273. *arbiter* et graece ἄρbitρος ab inusitato ἄρβω pro αἴρω i. *necto*, *iungo* petendum esse arbitratur. Conf. Dr. Hildebrand: Glossarii Fragmentum primum edidit et notis illustravit; (praef. indici scholarum Lection Gymnas. Tremonensis, 1845).

Orell. Inscr. 2156. *adensus pro ad census*, 3062. *adensus id. 3306* (fort. a. 120. p. Chr.). 3329 (c. a. 495). 3814; 3671 (Traian. imp.). *adcent*, 4511. *adumbitorium*\*); sed saepissime invenimus in Inscr. *accensus*, *accumulari* (554), *accido*, *accedo*, *accessus* (792. 2533. 3032. 9345. 4859), *accubito* (2103), *accersitus* (4724).

In Virgilii codic. *acc.* fere constantur scriptum est; itaque leguntur: *accedere*, *accendere*, *accidere* et. Servata est Littera *d*: Medic. Georg. II, 276. *acclive* (*d* 2. m. supra scripta est); Aen. VI, 630. *adcelerare* id. XII, 157; VI, 886. *adcumulem* id. in cod. Vatic. X, 835. *adclinis*; XI, 522. *adcommoda*; Cod. Vatic. VI, 630. *adcelerare* id. IX, 221. Vat. ap. Bottar. Georg. III, 334. habet *adcu**b**e**t*. Praeterea legitur *atcelerare* Cod. Med. Aen. V, 675. IX, 221. 505.

Auctor. Class. Vol. I. Cic. de Republ. II, 21. *accessio*, id. I, 34. et ita constanter *acc*; nam leguntur haec: *accipere* I, 3. 5. 16. 46, II, 5. 20; III, 2, 13 ter. 35. *accidere* I, 4, 5, 6 bis. 34; *accedere* I, 6. II, 23; III, 14; *accuratus* I, 13; *accommodare* I, 46; *accire* II, 13; *accensis* II, 22; *accusare* II, 35. Quanquam hic codex etymologiae rationem habere solet; Gargil. 3. *adcommendant*, sed *acced.* bis. Vol. II, p. 108. *acusatorem*, *adcreta*; p. 158. *adclamationis*; Fronton. II, p. 79 et 96 bis *adcommicare* id. 109. 145. sed p. 177. *accommodare*; id. 13. 121 et praeterea constanter *acc*. Jur. civil. I, p. 21. *adrescendi* et p. 22. *adrescere* bis. id. p. 23. *sexies*, p. 24. *quinquies*, p. 25. *quinquies*, p. 26. *sexies*, p. 27. *quater*; p. 78. *adcommodabitur*; III, p. 63. *adcurantur*. Praeterea *acc*. legitur in *accedere*, *accipere*, *accusare*, *accire*, ut III, p. 27. 114. est *iccirco*.

In Arusiani Messi codice Gud., qui adsimilare non solet, constanter scriptum est *acc*. (*accingere*, *accommodare*, *accedere*, *accipere*).

Taciti cod. Med. eandem scribendi rationem praebet; nam ibi haec leguntur: *accipere* I, 1. 7. 8. 9. 10. 14. 17. 20. 58. 59. 67. 28. 42. 49. 33. 71. II, 1. 2. 4. 6. 13. 14. 21. 22. 24. 25. 26. 30. 37 bis. 40. 41. 43. 45. 56. 59. 65. 69 bis. 70. 77; *adcipere* non legitur; *accensum* I, 4. 53. 69. II, 2. 16. 43. 57; *accedere* I, 4. 33. 73. II, 30; *accidere* I, 49. II, 5. 69; *accire* I, 5. 28; II, 2. 54. 80; *accolunt* I, 53; *accisae* I, 61; *accola* I, 74. II, 51, 68; *accusator* I, 74. II, 28. 30. 32. 79; *accusatio* II, 31. 34. 74; *accusatus* II, 42. 67. 72; *accommodatiorem* II, 66; *accerbitatibus* (sic) II, 71. Ad praepositionis sequente c servatae paucissima exempla inveni: I, 18. *adcelerabo*, I, 19. *adcreverat*, *adclamavere* id, 44; I, 21. *adcurritur*, I, 27. *adcursu*, I, 50. *adcelerantur*, II, 8. *adcrecente*, II, 10. *adcurrans* id. II, 31.

Livii cod. Bamb. XXXVI, 3 *accitus*, 43. *accelerare*.

Planti Bacch. *acc*. *praebent*, I, 1. 48. *accumbet* (1).

Arnob. cod. Brux. II, 23. *adcommoda*, sed III, 16. *accommodasse*, III, 38. *adc.* IV, 28. *acc.*

V, 30. *adc.* VI, 2. *adcumulamus*, VII, 11, *adc.* 13. 14. *adcumulat*, 28. *acc.* 47. *adc.* bis.

In Minut. Fel. A *d* hand allitteratum nisi sequente *c*.

Gloss. Placidi (a) habent *accipenser*, sed hoc voc. minime compositum est.

Etiam in codice Erfurt. constanter *acc*. legitur nisi quod orat. in Pison. c. 27. est *adct.*

Cod. Arnstad., qui in adsimulatione sibi constat, semper habet: *accole**r*, *assequi*, *appellare*, *apparatus*, *aspicere*, *assignatus*.

Ciceron. codic. a Lagom. collat. de Or. I, §. 17. *accedere*, ut videtur, omnes Lagom. codices, sed I, 27. *adcu**b**is*sent Lg. 65 (a. 1420 script.). 70. 73; I, 38. *adcurata* 65; ibid. *adcepissent* 65. 84;

\* Schneid. Gramm. Lat. ex Inscr. Gruter. haec exempla ab acc. incipientia enotavit: *accensus* 94, 11; 429, 3; 479, 1; 483, 3; 624, 2; *accipere* 509, 14; 384, 1; 465, 4; *accessum* 247, 6; 484, 6.

I, 54. *adcommodata* 84; I, 73. *adcesserit* 65. 70. 84; id. I, 79. Lg. 65. 70; id. I, 106. Lg. 5. 6. 65. 70; I, 108. *adcommodata* 65. 70. 73; I, 114. *adcipi* 65. 70; I, 123. *adcidere* 5. 6. 65. 70; post *accideret* 65; I, 149. *adcommode* 17. 70. 73; I, 150. *adcuratus* 73; I, 177. *adcepimus* 70; I, 181. *adcidere* 73; I, 205. *adcepimus* 5. I, 220. *adcedere* 65. 70; I, 239. *adcessisse* 67. 70; *adcommodatum* 67. 70. 73. 84; idem I, 260. Lg. 65. 70. 73; I, 242. *adceperit* 70; I, 254. *adcederet* 65. 67. 70. 73; II, 3. *adcepimus* 67. 70; II, 28. *adcessit* 67. 70. 86; II, 35. *adcusando* 5. 65. 67. 70; II, 56. *adcepimus* 65. 70; ibid. *adcidere* 65. 70. 73; II, 74. *adcepimus* 65. 67. 70. II, 89. *adcusavit* 65. 67. 70. 73. II, 90. *adcedat* 65. 67. 70. 73. 86. II, 93. *adcidere* 65. 70. 73. 86. II, 114. *adcepto* 65. 67. 70. 73; ibid. *adcommodatum* 17. 65. 67. 70. 73. 86. II, 159. *adcommodata* 65. 70. 73. *adcommodata* 67. II, 186. *adcommodatum* 17. 65. 67. 70. 73. II, 187. *adcipio* 65. 70. 73. II, 190. *adcesserit* 65. 67. 70. 73. 192. *adcidere* 65. 67. 70. 73. II, 197. *adcusando* 65. 67. 70. 73. II, 198. *adcedebat* 65. 70. 73. II, 200. *adcidere* 65. 73. II, 201. *adcusatio* 65. 70. 73. II, 211. *adcipiuntur* 65. 67. 70. 73. II, 249. *adcepto* 65. 70. 73. II, 250. *adcommodi* 67. II, 254. *adcipiant* 65. 67. 70. 73. II, 270. *adcommodatum* 65. 70. II, 291. *adcuratus* 5. 70. 73. II, 299. *adcessisse* 70. 73. II, 315. *adcurata* 5. 70. 73. II, 315. *adcurata* 5. 70. 73. II, 326. *adcommodata* 73. II, 339. *adclamatio* 5. 6. 13. 32. 70. 73. II, 345. *adcommodabuntur* 70. 73. II, 355. *adcipienda* 73. II, 364. *adcedere* 5. 67. 70. 73. III, 92. *adcersitis* 5. 73.

In Notis Tiron. iam structura poscebat, ut notae principes sive radices, quoad eius fieri posset, integrae servarentur, cf. Kopp. I. I. §. 301. In compositis igitur radix in columnis mansit (e. g. *adagit*), cf. §. 302. Eodem modo praepositiones praefixa integræ manebant, ut *adcelerat*, *adfirmat* cet. cf. §. 303. Sed typographi sibi non constant; nam etiam *allidit* et alia adsimilationis exempla inveniuntur, cf. §. 312. Videntur igitur Romani et antiquissimis temporibus et posteriore tempore, quoties ad praepositio verbis a c incipientibus adiungeretur, euphoniae legibus auriumque iudicio obtemperantes d in c mutasse. Quod idem procul dubio praecepit Vel. Long., cuius haec sunt p. 2225. P.: „In his partibus orationis, quae incipiunt a littera c, non facile potest hac praepositione (sc. ad) sonare d littera. Haec similiter littera geminatur in eo quod *capio*, *accipio*. Itaque Lucilius:

Atque accurrere scribas

D ne an c, non est quod quaeras atque labores.

Ille quidem non putavit interesse scripturae; sed scilicet si sonus consulitur, interest aurium ut c potius quam d scribatur.“ Ipsum Lucilium adsimilationem praetulisse ex iis quae in Fragni. X. de pelliciendo praecepit, colligi potest; conf. Schmidt. I. I. p. 14 sq. *Ad ante c in ac mutatum esse testantur* etiam Diomed. p. 418: „*D* praeponitur consonantibus septem his: c, g, l, p, r, s, t, quae succedunt in locum eius, ut *accipe*, *aggere*, *allige*, *appete*, *arripe*, *asside*, *attende*.“ Prisc. p. 559 et 569. (cf. §. 1); Martian. Cap. p. 56 ed. Grot., apud quos exempla *accido*, *accipio*, *accumbo* leguntur; Vel. Long. p. 2232 sq. *accedo*, *accommodo*, *accusator*, *accendo* habet; Terent. Scaur. p. 2260, *accio*, Cornut. ap. Cassiod. p. 2285. *accedo* poscit; Caecil. Vind. ap. Cassiod. 2318; Papirian. ap. Cassiod. p. 221: „In compositione plerumque d in c commutatur, ut in praepositionibus: *accedo*, *accumulo*“. Beda p. 2327. *accuso* et *accedo* affert.

